

DISC. Unde vis metalla tantam habere vim supra omnia elementa?

RAI. A cœlo.

DISCIP. Res duræ non recipiunt vim cœlestem, quia cœlis non obediunt: Videmus sigillum non imprimere suam figuram in duro lapide, sed in molli cera.

RAIM. Corporum cœlestium radii in nullo elementorum tanta vi & potestate uniuntur, quantum in terra: quoniam ipsa est proprium & firmum retinaculum virtutum cœlestium, & centrum ejus sphærarum: & propterea ipsa est productiva rerum mirabilium, nempe vegetabilium, animalium, & mineraliũ. Hermes dicebat, genitricem metalli esse terram, quæ fert ipsum metallum in ventre suo: & terram esse metallorum matrem, & cœlum patrem: ex eoque terram in montibus concipere sylvestribus & planis, & aquis, & omnibus aliis in locis. Verum est tamen, quòd dum terra in sua permanet duritie, nil potest producere, quoniam non obedit moventibus: sed quia continuus motus cœlestis, & Solis aliorumque planetarum virtus, terram ipsam continuè excoquit, ideo alteratur & subtiliat: & subtiliores partes virtute Solis elevantur in fumum. Ideo vires cœlestes quæ continuè à cœlo fluunt & in terram penetrant, inveniunt materiam simplicem, subtilissimam spirituales incorruptibilem, lucidam, perspicuam, & naturæ ingenio præparatam & aptam ad recipiendum influxus cœlestes.